



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quām extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus Unicus. Argumentum. Beneficia Jurispatronatus an
comprehendantur sub Concordatis Germaniæ; Et an, & quando elapso
Trimestre Summo Pontifici competende ad conferenda beneficia vacantia
in sex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

ARGUMENTUM.

Beneficia Jurispatronatus an comprehendantur sub Concordatis Germaniae. Et an, & quando elapso Trimestre Summo Pontifici competente ad conferenda beneficia vacantia in sex Mensibus, ex vi concordatorum reservatis, Ordinarius nequeat illa libere conferre.

SUMMARIUM.

1. Beneficia Jurispatronatus non cadunt sub concordatis Germaniae. Intellige ut num. 8.
2. In Impetrationibus Beneficiorum est exprimendus verus valor.
3. Ordinarius jure devoluto ex vi Concordatorum potest liberè providere beneficium vacatum in mense reservato; si Papa intrà Trimestre de eo nullo modo providet. Limita ut n. 12. & 13.
4. Literæ Apostolicæ in omnibus justificatæ sunt exequenda.
5. Beneficia vacantia in Mense Januarii, & in aliis quinque mensibus ex vi Concordatorum sunt Sedi Apostolicæ reservata. Amplia ut ibi.
6. Officia Ecclesiastica, quæ non dantur in titulum, aut Cappellania merè laicales non comprehenduntur sub concordatis.
7. Beneficia Jurispatronatus Ecclesiastici cadunt sub Concordatis. Amplia ut ibi.
8. Beneficia Jurispatronatus mixti non cadunt sub concordatis.
9. In canonicatibus, & beneficiis Germaniae juxta concordata, valor exprimi solet in vigintiquatuor ducatis.
10. Proviso, seu apposito manus Summi Pontificis intrà trimestre sufficit ut Canonicatus, aut beneficium sit specialiter affectum, etiam si Literæ Apostolicæ in eodem termino non fuerint expeditæ, & num. 20. & 23.
11. Proviso Apostolica non est nulla, si omisum fuerit fieri publicationem obtentæ provisionis intrà tres menses. & n. 22.
14. Papa si ob aliquod legitimum impedimentum

tum non conferat beneficium reservatum intrà Trimestre, Ius conferendi non reddit ad Ordinarium, nec per viam præscriptionis, nec per viam devolutionis, & num. 15.

16. Papa elapso Trimestre, potest conferre beneficium per viam purgationis moræ.
17. Dies vacationis beneficij an computetur in Trimestre.
18. Si erigeretur, & fundaretur beneficium in mense reservato an caderet sub concordatis.
19. Mensis Septembris est Sedi Apostolicæ ex vi concordatorum reservatus.
21. Ordinarius non potest disponere de beneficio, alteri intrà Trimestre à Papa collato.

CASUS UNICUS.

VAcato prima die Januarii in quādam Ecclesia Cathedrali Germaniae Canonicatu de Jurepatronatus Capituli quidam Sacerdos illum impetravit mense Februarii in dataria Apostolica tamquam de reservato, & sub expressione valoris non excedentis annuos ducatos vigintiquatuor aureos de Camera, Literas tamen Apostolicas non expedivit nisi in Mense Aprilis; E' contra Ordinarius elapsis tribus Mensibus, cùm in loco Canonicatus nemo comparuissest à S. Sede Apostolica Provisus, contulit eumdem Canonicatum jure devoluto alteri Sacerdoti; Quaritur an Literæ Apostolicæ sint exequenda vel potius Provisio Ordinarii sit sustinenda?

Literas Apostolicas non esse exequendas suadetur ex eo, quod ipsæ primò aspettu apparent subreptitiæ, tum quia non fuit notificatum Summo Pontifici, quod supradictus Canonicatus erat de Jurepatronatus; si enim Papa id scivisset, Canonicatum tanquam de reservato non contulisset, cùm Beneficia Jurispatronatus non cadant sub concordatis, & aliis reservationibus Apostolicis, sed quocumque tempore vident semper ad Patronorum præsentationem sunt providenda, nè Christi fideles à beneficiorum, & Ecclesiæ fundationibus retrahantur juxta: *Alexand. conf. 75. in princip. n. 1. vol. 4. Roch. de Curt. de Jurepat. verb. honorificum quest. 4. n. 22. & seq. & quest. 24.*

n. 54.

n.54. Lambertin. eodem tract. lib.2. p.1.
q.9. art.22. Gonzal. ad Regul.8. Cancell.
gloss.18. n.1. & seqq. Garz. de benef. p.5.
cap.1. n.571. & seqq. & in terminis con-
cordatorum Nicolarts ad Concordat. Ger-
man. tit.1. dub.5. §.8. Chokier ad Regul.8.
cancell. gloss.1. n.3. & gloss.8. per tot. & ad
Preces primarias sect.2. lit. Q. vers. Pre-
sentationem, Barbos. de offic. & potest. Epi-
scopi p.3. alleg.57. num.25. & seqq. &
num.144.

² Tum quia non fuit expressus verus va-
lor ejusdem Canonicatus, cum ille ascen-
dat ad annuos ducatos 400. contra deter-
minationem Regulæ 55. Cancellariæ, ubi
expressè sancitur, quod in imprestationi-
bus beneficiorum sit exprimendus verus
valor sub poena nullitatis gratiæ; Unde
non sunt exequendæ, sed retardari me-
rentur juxta auctoritates, quas refert, &
sequitur Rot. in Parmen. Beneficii 28. Ja-
nuar. 1701. §. Cum enim coram Eminentiis.
Scotto.

³ Et consequenter sustinenda venit
provisio ab Ordinario facta de eodem
Canonicatu, non solum quia iste utpote
Patronali, non cadit sub concordatis
Germaniæ; verum etiam quia etiam ad-
missa ejus comprehensione sub eisdem
concordatis, tamen cum non apparuerit
in loco beneficij Papam intrâ tres menses
à die notæ vacationis providisse de eo-
dem Canonicatu, potuit prôinde ex for-
ma concordatorum Ordinarius illam jam
devoluto validè conferri ex superius fir-
matis in Commentario.

⁴ At his omnibus posthabitis, & mini-
mè attentis censeo præfatas Literas Apo-
stolicas esse exequendas, & cum sint in
omnibus plenè justificatæ, plenam etiam
merentur executionem ad Text. in cap.: Si
Capitulo de concess. præben. in 6. Rot. decis.
141. n.2. p.19. rec. & alibi passim. Justi-
ficatio autem dictarum Litterarum in eo
quod attinet ad controversi Canonicatus
reservationem, clarissimè resultat ex il-
lius vacatione in Mense Januarii, qui
Mensis, ut patet ex hoc Canone, est Sedi
Apostolicæ reservatus, adeò ut ceteræ
⁵ dignitates post Majores in cathedralibus,
& principales in Ecclesiis Collegiatis, &
quæcumque alia beneficia vacantia in di-
cto mense, & in aliis quinque mensibus
ibidem enumeratis, comprehenduntur.

sub concordatis, & sunt Papæ reservata,
& ad ejus liberam collationem pertinentia
sive sint, erecta antè, sive post datam, &
publicationem concordatorum, sive sint
monocularia (quæ dicuntur, quoties in
Ecclesia unum dumtaxat est beneficium,
vel quoties collatori competit unius tan-
tum beneficij collatio), sive denique sint
officia Ecclesiastica, dummodò tamen-
dentur in titulum, & ad vitam Titulati,
⁶ secùs si non dentur in titulum, uti sunt
officia custodis, Cellarii, Protonotario-
rum, nec non Cappellaniæ merè laicalis,
& ad nutum amovibilis, aut legata Mis-
sarum, ista enim non comprehenduntur
sub concordatis, neque sunt Sedi Apo-
stolicæ reservata, quocumque men-
vacent; ut de his omnibus tradit Nicolarts ad concordata Germaniæ tit.1. dub.2.
§.3. & dub.3. §.2. cum seqq. & dub.4. §.2.
quem sequitur Rot. in Monasterien. Deca-
natus 26. Aprilis 1709. §. Siquidem coram
R.P.D. bo: me: Caffarello, & in Monaste-
rien. Vicariæ 3. Aprilis 1713. §. Neque co-
ram R.P.D. Lancetta.

⁷ Non obstante quod idem Canonicatus
sit Jurispatronatus, quia cum sit Jurispa-
tronatus Capituli dictæ Ecclesiæ Cathe-
dralis, dicitur esse Jurispatronatus Eccle-
siastici, & consequenter concordatis sub-
jectus; cum Beneficia Jurispatronatus
Ecclesiastici cadant, & comprehendan-
tur sub eisdem concordatis, etiam si ades-
set contraria observantia, quia decretum
irritans, quo concordata sunt munita
destruit omnem consuetudinem, & pon-
nit in mala fide præscribere prætenden-
tem, ut expressè tuentur Nicolarts ad
Concordat. German. tit.1. dub.5. §.7. Co-
ebier ad Regul.8. Cancell. gloss.8. num.1.
Rot. dec.572. num.11. coram Cerro, & in
Monasterien. Vicariæ 12. Martii 1706.
§. Justificatio coram R.P.D. Omanna, &
in Monasterien. Decanatus 26. Aprilis 1709.
§. Qui tamen coram bo: me: Caffarello.

⁸ Contrariis Auctoritatibus superius rela-
tis n.1. procedentibus in Beneficiis de
Jurepatronatus laicali, quæ certo equi-
dem ex ratione ibi deducta non cadunt
sub concordatis, sicuti sub eisdem non
cadunt beneficia Jurispatronatus Mixti
ut testatur idem Nicolarts ubi supra §.14.

Resultat etiam Justificatio earumdem
Litterarum in eo, quod spectat ad expres-
sio-

sionem valoris, ex eo quod iste fuerit expressus per non excessum in viginti quatuor ducatis, quod sufficit ad hoc, ut dicatur justificatus dum in Canonici-
bus, & beneficiis Germaniae juxta con-
cordata valor ex primi solet in viginti
quatuor ducatis. *Card. de Luc. de benef.*
disc. 90. n. 15. Rot. dec. 69. n. 3. p. 12. & in
Monaſterien. Vicariae 3. Aprilis 1713.
S. Ille coram R. P. D. Lancetta, & in
Hildeſimen. Canoniciſtus 16. Martii 1716.
S. Pro exequendis coram R.P.D. Crispo.

Quin ullenius officiat objectum, quod cum Provisio Apostolica dicti Canonici-
tus intrà tres menses à die vacationis non innoverit in partibus, validè potuerit Episcopus ad formam hujus *Canoniſ eum-
dem Canoniciatum jure devoluto con-
ferre.* Siquidem Summus Pontifex pro-
vidit dictum Canoniciatum intrà trimestre,
dum signavit supplicationem à Pro-
viso Apostolico porrectam mense subse-
quenti Februarii; quæ proviso seu appo-
ſitio manus Summi Pontificis intrà tri-
mestre sufficit ad hoc, ut dictus Canonici-
tus dicatur remansisse dispositioni Papæ
specialiter affectus, etiam si in eodem
termino Literæ Apostolice non fuerint
expeditæ, & ad hoc ut nemo de eodem
tamquam devoluto disponere possit jux-
ta declarationem Gregorii XIII. de qua
supra in *Commentario num. 2.* & ad *Text.*
in *Extravag. Romani Pontificis §. Romani*
quoque de præben. *Lotter. de re benef. lib. 2.*
q. 25. n. 33. & seqq. cum aliis in Treviren.
Parochialis 26. Junii 1715. S. Quoniam
cumseq. coram R. P. D. Lancetta inferius
impreſſ. quæ fuit confirmata *10. Febr.*
1716. coram R.P.D. Foscari. Et quamvis
idem Gregorius ubi supra ad excitandam
diligentiam Provisorum velit significa-
tionem obtentæ Provisionis intrà tres
menses fieri debere, non proinde annulat
provisionem, si hoc omissum fuerit
*Rot. in Colonien. Canoniciſtus apud Bran-
den. ad concordat. German. in 2. Notabili-*
n. 4. & seqq. Adeoque cum Papa intrà tres
menses contulerit, nulla, & irrita reman-
dit collatio dicti Canoniciatus facta ab
Episcopo sub falsa devolutionis Causa.
Rot. in Auguſtana Canoniciſtus 12. Januar.
1703. S. Cum itaque coram Reverendissimo
Molines, & in dict. Treviren. Parochialis
10. Febr. 1716. S. Absque eo coram R.P.D.
Foscari.

Sed etiam per hypothesim admissum
quod Papa intrà Trimestre nullo modo
apposuerit manus seper dicto Canonici-
tu, non proinde est absolute, & indefi-
nitè verum, quod Ordinarius possit illum
jure devoluto conferre, dum in duobus
casibus fieri potest, quod, non obstante,
quod Summus Pontifex in termino Tri-
mestris non apposuerit manus super be-
neficiis vacantibus in mensibus reser-
vatis, jus liberè conferendi non redeat ad
Ordinarium.

12 Primus est, si Papa post illos tres Men-
ſes præveniat Ordinarium in conferendo
beneficium, hujusmodi namque præven-
tio, & provisio Apostolica præventivæ
facta impedit, & aufert facultatem Ordinarii
liberè conferendi, adeòut si Ordinarius
postea provideat, Provisus Apostolicus præfertur, & excludit Provisum
ab ordinario; Ratio est, quia Papa dan-
do ordinariis facultatem in hoc *Canone*
conferendi beneficia vacata in mensibus
reservatis lapsi trimestri, præsumitur
non se spoliasse, imò sibi reservasse facul-
tatem concurrendi cum ordinariis etiam
in eorum Mensibus ad *Text. in cap. Dudum*
& *cap. Quamvis il 2. de præben. in 6. Bran-
den. ad concordata Germania quæſt. 6. n. 18.*
& in prim. notab. n. 1. & seqq. Nicolarts ad
concordat: German. tit. 1. dub. 11. §. 3. Rub. in
ann. ad dec. 2. ex n. 208. p. 3. rec. Lara de an-
nivers. & Cappell. lib. 2. cap. 10. n. 22. Rot. in
Augustana Canoniciſtus 12. Januar. 1703.
S. Propterea coram Reverendis. Molines.

13 Secundus casus est, si Papa fuerit le-
gitime impeditus conferre beneficium
intrà Trimestre, eo quia e. g. sit graviter
infirmitus, aut ex eo, quia durante adhuc
Trimestre, Sedes Apostolica vacaverit, in
hoc casu lapsus Trimestris non nocet Pa-
pa, sed remanet ei jus salvum ad *Text.*
in cap. Quia diuſtatem de conceſſ. præben.
ibique Fagnan. n. 1. idem in *cap. Nulla n. 33.*
eod. tit. Sabell. in *Summ. §. Impedimentum*
sub num. 2. *Rebuf. in præx. tit. de devolut.*
n. 13. Lotter. de re benef. lib. 2. q. 24. n. 10.
Murga de benef. q. 3. n. 403. Garz. eod. trah.
p. 10. cap. 2. n. 17. Neque claps eodem
Trimestre, Jus conferendi redit ad ordina-
rium; Ratio est, quia aut volumus ad-
mittere jus conferendi redire ad ordina-
rium per viam præscriptionis juxta Bur.
in cap. statutum de præben. in 6. n. 8. ibiq.
Joan.

Joan. Andr. n. 1.; & hoc dici non potest cum non valenti agere non currat præscriptio. Text. in l. cum potissimè §. In iis, & §. Illud C. de præscript. l. prima c. de annal. except. cum aliis adductis per Rot. coram Coccin. dec. 5 17. n. 8. & dec. 1699. n. 13. coram Cerr. dec. 209. n. 2. coram Priolo dec. 417. n. 22. & in Rec. dec. 330. n. 17. & dec. 366. n. 5. p. 19. rec.. Aut per 15 viam devolutionis, & hoc pariter dici nequit, quia cùm hujusmodi devolutio supponat negligentiam, hæc in Pontifice legitimè impedito considerari nequit, sive que quælibet devolutio exclusa remanet per Text. in cap. Illa nè Sede vacante, ibique Gloss. Barbos. de potest. Episcopi p. 3. alleg. 123. sub n. 28., & optimè consideravit Rot. in Augustana Canoniciatus 12. Januar. 1703. §. Quin imò coram Reverendiss. Molines. Sed Papa in hoc casu, etiam si 16 sit lapsus Trimestre, potest nihilominus conferre beneficium per viam purgationis moræ juxta Gloss. in cap. statutum verb. per se ipso de præben. in 6. ibique Barbos. n. 7. idem in tract. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 35. Ventrigh. in prax. p. 2. annot. 2. §. 1. n. 18. & alii apud Rot. in d. Augustana Canoniciatus ubi supra §. Propterea. Qua propter illa propositio, quod ex forma concordatorum Germaniæ possint Ordinarii in mensibus etiam reservatis liberè providere, si non appareat Papam providisse infra tres menses à die notæ vacationis, intelligenda venit, quatenus post illos tres menses Papa non præveniat, & quatenus non fuerit legitimè impeditus beneficium providere intrà Trimestre, & beneficium non conferat per viam purgationis moræ.

17 Ad perfectam notitiam præsentis Canonis, Quæro in hoc casu. Primo. An dies vacationis computetur in Trimestre, vel potius supputatio Trimestris incipienda sit à die immediatè sequenti? Respondeo diem vacationis non computari in Trimestre, quia cum in supradictis concordatis legantur sequentia verba: Non apparuerit intrà tres menses à die notæ vacationis quod alicui de illo Apostolica Auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antea Ordinarius &c. &, & cùm in Bulla Gregoriana superius in Commentario relata num. 2. habeantur hæc: Post lapsum trium Mensum ex die notæ vaca-

tionis: Hujusmodi dictiones A, Ex, operantur ut computatio temporis non sit facienda de momento ad momentum nec dies vacationis computetur in Trimestre, imò à præfixo termino excludatur. Gloss. in cap. Statutum verb. numerandum n. 3. de præben. in 6. ibique Barbos. n. 5. & 14. Rot. in d. Augustana Canoniciatus 12. Januar. 1703. §. Huic usque coram Reverendiss. Molines.

18 Secundo quæro; si beneficium de Jurepatronatus Ecclesiastico vacaret prima vacatione per ejus erectionem, & foundationem in mense reservato; seu si erigeretur, & fundaretur beneficium in mense relevato, an caderet sub concordatis, & Regulis reservatoriis? Garzias de benef. p. 5. cap. 1. §. 11. n. 520. censet non comprehendendi sub concordatis, quia durum sibi videtur, & à mente Papæ longè alienum, quod si in Mense Apostolico crearetur, & erigeretur beneficium per Ordinarium, quod esset de Jurepatronatus Ecclesiastico, Ordinarius ipse non posset illud conferre pro prima vice, nec Patronus Ecclesiasticus præsentare; Gonzalez verò ad regul. 8. Cancell. gloss. 9. §. 1. n. 50. affirmativam tuctur sententiam, nempe tale beneficium venire sub concordatis, & Regulis reservatoriis, etiam in prima vacatione per creationem, & erectionem. Nicolartz autem ad concordata Germaniae tit. 1. dub. 4. §. 4. prior sententia magis placet, nè Fundatores à foundationibus beneficiorum arceantur, si simulatque creata essent, in mense videlicet Apostolico, Provisis Apostolicis deberentur.

R. P. D. L A N C E T T A

Triviren. Parochialis.

Mercurii 26. Junii 1715.

PArochiale Ecclesiam S. Martini de Ryoll, quam uti vacatam in mense reservato Matthias à Sanctissimo obtinuerat sub datum quinto idus Novembris anni 1713. Abbas S. Matthiæ Ordinis Benedictinorum apud Treviros jure devoluto successivè contulit Petro Mentes sub die 13. Januarii subsequentis anni, ad cuius instantiam commissa mihi ex integrō per Signaturam Justitiæ Causa,

de-

dedi dubium an Literæ Apostolicae essent exequendæ. *Et exequendas esse*, DD. rescripserunt, quia plenè constitit de illarum justificatione, tūm quoad Clericatum ex approbatione ab eodem in cursu reportata coram Examinatoribus, tūm quoque quoad reservationem, ex quo vacatio contigit de mense Septembris, qui S. Sedi Apostolicæ reservatus est, ut patet ex tenore Bullæ, quam voti cant Concordatorum Germaniæ Nicolai Papæ V. & dixit Rota dec. 5. 22. n. 6. p. 19., & in Monasterien. Decanatus 26. Aprilis 1709. §. *Justificatio coram bo. me. Caffarello.*

Non obstat quod jam elapsis tribus mensibus à die notæ vacationis in loco Beneficii, cùm nemo comparuisset à S. Sede Apostolica provisus, ritè recteque potuerit Abbas S. Matthiæ Ordinarius Collator ad formam eorumdem Concordatorum d. Parochiale Ecclesiam jure devoluto conferre.

Quoniam cùm Sanctissimus usque sub die 9. Novembribus 1713. atque ideò duobus nondum effluxis mensibus à die vacationis, & obitus ultimi possessoris super hoc beneficio manus apposuisset, illudque Matthiæ contulisset, nemo subinde potuit sive Episcopus, sive alius quicumque Ordinarius Collator de eodem beneficio tamquam devoluto disponere, quia illud post ejusmodi manus appositionem statim remanserat dispositioni Papæ specialiter affectum, ad *Text. in Extravag. Romani Pontificis* §. *Romani quoque de præben. Lotter de re benefic.* lib. 2. q. 25. n. 33. & seqq. Rota dec. 112. 237. & seq. & dec. 333. n. 8. part. 16. cum aliis in Gerunden. *Canoniciatus* 25. Junii 1714. §. *Constitut coram Me.*

Atque ex hac ratione nihil urget, quod Matthias non prius quam sub die 8. Februarii 1714. jam lapsò dicto trimestri literas suæ provisionis in partibus exhibuerit; Nam etiam hoc casu propter obstaculum dictæ affectionis, & præventionis non posse Ordinarium disponere de beneficio jam alteri intrà dictum Trimestre à

Papa collato declaravit nostrum Sacr. Tribunal 13. Februarii 1559. coram Fabio Accorambono, cuius interpretationem tamquam juri, & æquitati maximè conformem, vim legis habere, subinde justit fa. me. Gregorius XIII. speciali in id edita Constitutione *impress. in Bullar. nov. tom. 2. inter suas la 41.* ut præcisè respondendo huic objecto dictum fuit in una Colonien. coram Comitulo, quæ est deciso 69. penes Posth. de manut. n. 4.

Quemadmodum neque pariter ex hoc capite gratia Apostolica ab eodem Mattheia obtenta nulla aut irrita remansit, quia tametsi in prælaudata Gregorii Constitutione ad excitandam diligentiam eorum, quibus à S. Sede beneficia conferri contingat, statutum fit, ut intrà prædictos tres menses significatio aliqua obtentæ provisionis in partibus fieri debeat, nullitatis tamen poena incussa non legitur, ut bene observat Nicolarts post eamdem Constitutionem ad concordata Germania tit. de reservatis n. 2. Kochier. ad regulas Cancell. reg. 8. gloss. 10. n. 4. & 5. & respondit Rot. d. dec. 69. penes Posth. n. 4.

Absque eo quod replicate juvet, quod Literæ Provisionis Apostolicae expeditæ fuerint à Matthia sub die 19. Januarii 1714., adeòque post collationem Ordinarii factam usque sub die 13. ejusdem mensis, nām cum supplicatio, illius nomine, Sanctissimo porrecta, longè ante signata fuerit, nempè sub die 9. Novembribus 1713., ab hac die dicitur Papa manus apposuisse, & impedivit collationem cuiuscumque alterius inferioris, ut disertè caveretur in laudata Constitutione Gregorii, cuius dispositio in hac quoque parte maximè convenit cum Jure communi, juxta quod unicè attenditur tempus datae literarum, licet ipsa longè post expeditæ fuerint Wammes de Sur. Pontific. tom. 1. conf. 1. n. 5. Gonzal. ad regul. 8. gloss. 12. sub n. 45. Corrad. in praxi benef. lib. 3. cap. 8. n. 4. Rota coram Merlin. dec. 281. n. 13., & in Colonien. Canoniciatus primæ gratiæ 13. Decembribus 1709. §. Ea verò coram Me.

Et ita utraque &c.